






M 66. 6.











N. 8.



Notum est

1. de indicta Synodo.
2. Responsu Melancthonis ad scripta  
Oleri Colon.
3. Sententia Melancthonis de Scra.
4. Melancthonis oratio in  
funere Lutheri
5. Joh. Tursteneri de Basilio  
et Cass. Crucigeri de dono In-  
terpretationis in Ecclesia.  
Stigelii Elegia de herba Teucri.
6. Pauli Sberri Hist. Iudaeorum a Jos.  
capt. Babil. — ad Christum
7. Epistola de diffid. Religionis, Sadoleti  
Omphalii et Jo. Sturani
8. Jac. Sadoleti epistola ad Senatum Gene-  
vensem c. responsione Caluini.
9. Lutheri Epistola ad Georg. Pr. Anhalt  
sup. chore 1. Hebtz
10. Melancthonis oratio Ma-  
gisterialis






9  
ORATIO  
RECITATA CVM DE  
CERNERETVR GRÆ  
dus Magisterij aliquot honēs  
stis & doctis uiris, Diē  
septimo Februarij.

ANNO.  
M. D. XLVIII.

Philippus Melanthon.

VITEBERGÆ.







ORATIO RECITATA CVM DE  
cerneretur gradus Magisterij aliquot  
honestis & doctis uiris, Die  
septimo Februarij.

**E**TSI illustre testimonium est prouidentie di-  
uinae pulcherrimus ordo multarum rerum in  
natura, ut ipsa mundi figura, & positus corporum,  
certissimae leges motuum coelestium, uices tempo-  
rum ad utilitatem rerum nascentium accommodatae,  
terrae fecunditas, specierum perpetuitas, propaga-  
tio, & generationis modus, denique mens hominis,  
numeri, & aliae primae noticiae, & lumen in menti-  
bus aeterno septo dirimens honesta a turpibus, iudi-  
cium conscientiae in recte & secus factis. Quae  
omnia cum aspiciamus, fateri cogunt, non casu exti-  
tisse hunc mundum, sed mentem aliquam aeternam  
fuisse architectatricem & hominum, & huius pul-  
cherrimi domicilij nostri, & hanc inspectricem &  
iudicem esse nostrorum factorum. Et hanc de Deo  
noticiam insitam esse humanis animis ita agnosci-  
mus, ut numerorum inicia in nobis cernimus, tamen  
tanta est animorum seu mobilitas seu leuitas, ut assen-  
sio languescat, cum hominum uiciis, & fortunae ua-  
rietatem intuemur. Nemo sine erroribus & sine

A ij aliqua



aliqua labe uiuit, Et Palamedi, Socrati, & similibus recte facientibus non prodest uirtutis studium. E contra Apicio & multis similibus, qui se turpiter inquina-  
narunt uoluptatibus, tranquillus est uitæ cursus ad ultimam usq; senectam. Itaq; non solum Democri-  
tus & Epicurus fingunt sine mente conditricc hæc mundi corpora concursu atomorum temere consti-  
ta esse, & temere ferri ac moueri, nec mentem ali-  
quam reatricem esse generis humani, sed etiam in-  
numerabiles alij homines, cum morum confusiones, Politiarum, quæ mediocriter fuerant constitutæ, dissipationes, potentiam florentem eorum, qui ueri-  
tatem & iusticiam opprimunt, aspiciunt, etiamsi non dubitant esse Deum, conditorem & gubernato-  
rem rerum, tamen remittunt studium uirtutis, quod existimant magna ex parte inutile esse. Deinde in Ecclesia, cum ex studio ueritatis ingentes motus ex-  
oriri uidemus, imò sapientum quoq; iudicijs impro-  
bari curam quærendæ ueritatis, hic uero non solum inutiles literæ, sed etiam perniciosæ esse ducuntur, et in odium ueniunt, ut res ipsa ostendit hanc causam esse, cur multi doctrinam ceu pestem aliquam fugi-  
ant, multi degustatam abijciant.

Etsi autem ualde difficile est, animos his remo-  
ris impeditos erigere, atq; exuscitare, ut Deum as-  
piciant,



spiciant, ac uoluntatem eius anteferant omnibus his  
offensionibus, tamen omnino pugnandum est, ne fal-  
sis opinionibus uelut uentorum impetu á recta uia  
depellamur. Difficile est, fateor, sed tendit in ardua  
uirtus. Etsi autem nullius oratio ignauos aut malos  
excitare potest, tamen bonæ mentes teneant in con-  
spectu argumenta certa, quibus uel leniant dolorem  
suum, uel accendant studium.

Dicam igitur, quare non deserenda sint hæc li-  
terarum studia, etiamsi nunc in ista confusione orbis  
terrarum, non solum honos nullus est literis, sed eti-  
am odia & ingentia pericula discentibus proposita  
sunt.

Nec iam alloquor Democriti aut Epicuri ap-  
plausores, qui prouidentiam derident, quos, etsi sunt  
impudentes, tamen uox ipsa naturæ refutat, quæ cla-  
mitat esse Deum, mentem æternam, conditricem, &  
iudicem generis humani. Sed uos alloquor, qui ci-  
ues estis Ecclesiæ Dei, & doctrinam cœlestem scitis  
resuscitatione mortuorum confirmatam esse, eamq;  
amplexi estis, moti cum testimonijs illis diuinitus ex-  
hibitis, tum uero etiam luce accensa diuinitus in men-  
tibus uestris.

Nec uero inter Ecclesiæ ciues, cuiusquam plus  
malere oratio debet, quam eius oratoris, quem con-

A iij      ditor



ditor uniuersae naturae ad nos misit, inquit. Hic est  
filius meus dilectus, hunc audite. Meministis autem  
hanc eius concionem. Si quis diligit me, sermonem  
meum seruabit, & pater meus diliget eum, & ueni-  
emus ad eum, & mansionem apud eum faciemus.  
Hic praecipit sermonem suum seruari, id est, ut custo-  
des doctrinae simus, ut legamus, audiamus, discamus,  
transmittamus ad posteros scripta, quae Ecclesiae tra-  
didit. Haec cum sine literis & multiplici doctrina  
fieri non possint, hanc nostram militiam docentium  
& discantium necessariam esse non dubium est. Non  
bella, non hominum furores, non dissipationes gen-  
tium moueant nos, ut studia literarum abiciamus.  
Necesse est enim parere mandato diuino, quod doctri-  
nam arcanam, quam filius ex sinu aeterni patris pro-  
tulit, legi, audiri, & disci praecipit. Deinde cum pro-  
missio addita sit amplissima, (diliget doctrinae custo-  
des aeternus pater, atque ita diliget, ut hos nominet do-  
micilium suum, & inter eos uere uersetur) ipsi cura  
erit, ne desint sibi & nobis hospicia, & ne labores  
sint inutiles. Sed recta & uera discamus, & modeste  
inquiramus ueritatem, & expetatur doctrina, ut  
ornetur gloria Dei, non ut sit praetextus cupiditatum  
nostrarum.

Multi in his communibus miserijs irascuntur  
doctrinae, hanc esse facem huius incendij dicunt, qui  
quidem



quidem cum Deo irascuntur, his querelis augent,  
non sanant publica mala. Rectius est has indignatio=  
nes compescere, ac modeste cogitare ueras causas iræ  
Dei aduersus nos, ac deinde ex promissionibus diuinis  
remedia petere, quod qui facient, primum ipsa mo=  
destia impetrabunt à Deo mitigationem publicorum  
& priuatorum malorum, Postea & doctrinæ cogi=  
tatio ac suauitas per sese μαλακτικὸν erit mœ=  
sticiæ. Præterea uerissimum est illud Sophocleum,  
ὦ μῶρε, θυμὸς ἐν κακοῖς οὐ συμφοροῖ, Multa  
peccant homines iracundia in rebus aduersis, ubi si  
non tumultuarentur, & à Deo peterent liberatio=  
nem, catastrophe futura esset placidior.

Multa sunt causæ cur Deus Ecclesiam ærumnis  
ingentibus onerarit, quas causas nosse & sæpe recor=  
dari utile est. Multa sunt & magna delicta præser=  
tim in hac delira mundi senectæ. Ideo crescunt pœ=  
næ, ut filius Dei ipse prædixit, In hac mundi senectæ  
maiores imperiorum & Ecclesiæ confusiones futuras  
esse, quam fuerunt antea. Et denunciantur hæc mala  
coelestibus signis. Vidistis recens horrendam Solis  
Eclipsin, in qua iuncti in tenebris Sol, Mars, Venus,  
Mercurius, & Luna, quam dira uenena in hanc in=  
feriorem naturam sparserunt. Iam his diebus con=  
gressus erit Saturni & Martis in ægocerothe, in quo

A iij præcipua



præcipua est seivicia utriusq; stellæ. Et ipse ægoceros  
per sese turbulentum sidus est. Propter quam cau=  
sam vetustas quæ naturas stellarũ et μετεωρο inuo=  
lucris fabularũ tegere solebat, finxit in gigantoma=  
chia Pana indutum specie ægocerotis grassantem Ty=  
phona reti cepisse. Non igitur leues motus impen=  
dent, sed horribilis gigantomachia, quæ non ideo se=  
dabitur, quia multi Deo irascuntur, & maledicunt  
miseris scholasticis. Sed ad flectendam iram Dei, alia  
cura necessaria est, cogitandæ sunt diuinæ promissio=  
nes, confugiendum ad Deum fiducia filij, & modeste  
uiuendum, ac a Deo petendum, ut in ira misericor=  
diæ suæ recordetur, curandum etiam, ut posteris ue=  
ram & incorruptam sententiam de Deo tradamus,  
ut ueris officijs Deus colatur.

Non igitur nunc per iracundiam aut despera=  
tionem abiicienda sunt doctrinæ studia, sed potius  
inde iam remedia malorum petenda sunt. In his ue=  
rissime Deus tecum colloquitur, promittit auxilium,  
ut inuocationem exuscitet. Et experimur exemplis  
manifestissimis non esse irrita nostra uota.

Veniat hoc quoq; in mentem, etsi aliæ causæ  
sunt potiores, quare Ecclesia tam duriter exercetur,  
tamen simul his calamitatibus commonefieri bonas  
mentes,



mentes, ut sciant genus humanum non ad hanc tantum ærumnosam uitam conditum esse, sed alium restare portum, in quo homines Deo cari acquiescant. Nequaquam enim consentaneum est, hanc naturam conditam ad Dei agnitionem, ac celebrationem ad æternas tantum miseras nasci, in quibus celebrare Deum non possit. Hæc mihi cogitatio sæpe leniit dolorem, quæ quidem etiam magis mouet animos, cum ex omni antiquitate Ecclesiæ repetimus exempla miseriarum quas pijs tulerunt, quorum consideratio ostendit utrumq; & Dei consilio nos exerceri, & securam esse liberationem, si tamen doctrinam & inuocationem non abiecerimus.

Dulciora fortasse studia sunt in rebus secundis, sed multi tunc blandiuntur sibi ipsi, & quærent ambitione aut φιλονεκία opinioniones inutiles. Hanc curiositatem ærumnæ compescunt, quæ nos ad necessaria timoris & fidei exercitia deducunt, ut nunc seria certamina rerum maximarum explicationem requirunt. Synodus Tridentina corruptelas quasdam edidit de lege Dei, & de promissionibus, quæ duo capita sunt doctrinæ cœlestis præcipua. Legem obscurant, cum negant dubitationes quæ sunt in hominibus de Deo, item uiciosas cupiditatum flammæ mala esse pugnantia cum lege Dei. Postea promissionem

A 5

declent,



delent, cum iubent dubitare an in gratiam recipiamur, qua in dubitatione si relinquuntur animi, nec de timore recte docentur homines, nec consolatio pavidis proponitur, & excutiuntur inuocatio & spes, cum mentes non audent in deo acquiescere, Et sequentur alia decreta absurdiora. Nunc igitur non litigamus cum aduersarijs de paruis rebus, sed de grauissimis materijs, quæ ad agnitionem & inuocationem Dei pertinent, de quibus suo loco dicendum erit. Iam uero ideo tantum hoc commemoro, ut cum hæc miserie prebeant occasionem de rebus necessarijs discernendi, sciatis discendi curam non remittendam esse, Imò quam tenerent pij consolationem in his ipsis calamitatibus, si hæc dubitatio confirmanda esset? Si dubitet Laurentius, an Deo placeat confessio, quo animo supplicium adibit? quod erit robur in rogo? Cum Deus et promissiones tradiderit, & iureiurando nobis dubitationem eximere uelit, ut cum inquit. *Viuo ego, Nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur & uiuat, surdæ mentes atq; aures sunt, quæ nec promissionem nec iusiurandum audire uolunt, sed docent retinendam esse dubitationem, perinde ut hæret in Ethnicis ignaris diuinæ promissionis. Quid interest inter Ecclesiam Dei & Ethnicos deleta promissione? quæ consolatio firma in summo dolore mentibus proponi potest, si tolletur ex conspectu di-*  
diuina



uina promissio? Sed omitto nunc disputationem,  
quam quidem attigi, ut nunc ualde opus esse studijs  
literarum intelligatis, & ne obruatur doctrina Ec-  
clesiæ propria & necessaria, & ne uos ipsi consola-  
tionem salutarem amittatis. Nam in hoc portu tan-  
tum acquiescunt piæ mentes, quod intuentes pro-  
missionem fide statuunt se recipi & exaudiri à Deo,  
& certam spem habent auxiliij diuini ut uox illa in-  
quit. Qui confidunt in eum, non confundentur.

Eò autem uobis & iucundiora & faciliora  
hec studia esse poterunt, quia Dei beneficio, recte  
uobis semina artium initio tradita sunt, & Ecclesiæ  
doctrinam hausistis ex limpidis fontibus, nec initio  
instillatæ sunt uobis ineptæ opiniones, quæ postea  
offundunt caliginem mentibus, quæ impedit recta iu-  
dicia. Plurimum enim refert quali doctrina prin-  
cipio rudia pectora imbuantur.

His igitur argumentis confirmati, ne sinatis  
uobis excuti doctrinæ studia, Cogitate mandatum  
Dei esse, ut discamus, & Deo curæ fore, ne nostri  
labores sint irriti, sicut Paulus inquit, Labor uester  
non erit inanis in Domino. Et quo minus tranquilla  
est uita, eò magis opus esse meditatione doctrinæ &  
ad excitandam inuocationem, & ad leniendam mo-  
sticiam,



sciam, & ne obruatur ueritas. Deniq; hæc ipsa  
modestia magna uirtus est, in his motibus retinere  
hanc animi tranquillitatem, ne indignatione aut de=  
spiratione studia doctrinæ abijcias, aut frustra tu=  
multueris, sed uotis tua & publica mala leuare stu=  
deas, & interim doctrinæ conseruationem tuo loco  
modeste adiuues. Hoc ipsum est leuare aliqua ex par=  
te cōmunes miseras, quas ut Deus æternus Pa=  
ter Domini nostri Iesu Christi, conditor  
generis humani & Ecclesiæ suæ  
mitiget, toto eum pe=  
ctore oro.

τέλος.



## QUESTIO.

**E**TSI consuetudo me publica & honestissima  
excusat, quod in hoc confessu doctissimorum  
uirorum dicere aliquid institui, tamen ueniam a uo-  
bis peto, uosq; oro, ne me potius ingenij fiducia, quã  
officio adductum esse, ut id facerem, existimetis.  
Cumq; dicendi causa sit honesta, Virtus est enim in  
primis digna laude, ijs legibus parere, quæ doctrinæ  
& disciplinæ causa conditæ sunt, oro etiam, ut me-  
am orationem boni consulatis. Et quia hæc studia  
colimus præcipue ut uera Dei noticia in genere hu-  
mano luceat, Dicam de Decerto synodi Bononiensis,  
quod proximo anno Mense Maio post Eclipsin Lunæ  
quæ tunc fuit factum est, de satisfactione, in quo de-  
creto tristes tenebræ offusæ sunt doctrinæ cœlesti.  
Nec metuo reprehensionem quod huic mæ etati nõ  
cõuenire uideatur disputatio de synodi sententijs, quæ  
summum Ecclesiæ consilium esse existimatur. Nam  
errori tam manifesto, qui detrahit horribiliter de glo-  
ria filij Dei, reclamare omnes debent, senes & iuue-  
nes, ut scriptum est, Ex ore infantium & lactentium  
perfecisti laudem. Præcipue obscurata est doctrina  
de filio Dei, supersticiosi opinionibus, quæ de satis-  
factione in Ecclesiam sparsæ sunt. Immensum bene-  
ficium est filij Dei, quod factus est  $\lambda\psi\ \xi\omicron\ \rho$  pro no-  
bis.



bis, id beneficium non est transferendum in ullam creaturam. Eo etiam libentius hac de re dissero, ut nostri συμφοιτητα sciant qua fide hostes verae doctrinae decreta faciant, & deprehensis erroribus illorum maiore studio pectora muniant vera doctrina.

Propono igitur questionem. An satisfactio canonica, ut uocant, sit mandata diuinitus ut synodus Bononiensis adfirmat.

Ac primum non esse mandatum inde iudicari potest, quia fatentur ipsi satisfactiones esse opera non mandata diuinitus, ut, quod pro adulterio indictum est ieiunium septennij, ritum esse non institutum lege diuina constat. Cum autem Regula dicat. Frustra colunt me mandatis hominum, facile intelligi potest, nec satisfactiones diuinitus praecipere, Et canones ipsi ostendunt hominum decreta esse, quia paulatim Episcopi ipsi, et cumularunt haec επιτιμια, & relaxarunt, quorum neutrum facere licet, si sunt praecpta diuinitus.

Etsi autem hos ritus humana autoritate institutos esse constat, tamen inicia eorum a diuino iure proficisci dicunt, propter hanc rationem.

Manifestum est plurima delicta comitari tristes poenas in hac mortali uita, ut Iob inquit. Verebar  
omnis



omnia opera mea, sciens quod non parcis delinquenti.  
ti.

Hæ poenæ mitigari possunt nostris benefactis.  
Ergo, Nostra benefacta sunt compensationes, seu  
satisfactiones.

Hoc argumento nunc quoq; synodus ornat usi-  
tatas persuasiones de satisfactionibus, ad quas an re-  
cte accommodetur, prudenter iudicandum est. Mul-  
tis enim seculis nomen satisfactionum in Ecclesia fuit,  
seu umbra, Res non fuit. Olim autem fuisse ritus cer-  
tos, qui discernebant pollutos & excommunicatos  
ab alijs honestis manifestum est, ut cum Orestes ua-  
gatus est in Græcia, gerens signa reatus, priusquam  
expiatus est. Et hunc honestum ritum á primis pa-  
rentib. humani generis ortum esse consentaneum est.  
Quare non temere uetusti moris ritum Ecclesia ue-  
tus imitata est.

Cum igitur multarum rerum doctrinam hic  
locus de satisfactionibus contineat, questionem  
hanc ad Magnificum D. Rectorem dese-  
ro, quem oro, ut eam propter  
scholæ utilitatem explicet.

DIXI.



## RESPONSIO DOCT. Casparis Crucigeri.

**E**T uoluntatem tuam, & consilium probo, quod ostendis te amare Ecclesie studia, & hoc loco questionem elegisti, quae si recte explicetur, ualde illustrat gloriam filij Dei. Etsi autem angustia temporis non permittit, ut nunc integram explanationem instituam, tamen de summa rei meum iudicium ostendam. Miror impudentiam synodi, quod audet adfirmare diuinitus institutas esse satisfactiones, quarum nomen tantum, aut uix umbra multis seculis in Ecclesia fuit, Res multo ante oblitterata est, & quales ritus fuerint, ne ipsi quidem amphictyones, qui in synodo fuerunt, dicere possent. Refutationem autem eorum omitto, ac tantum de tuo argumento dicam.

Verum est horribiles poenas in hac uita mortali comitari delicta omnis generis, Ac praecipue punitur Ecclesia, quia ibi praecipue uult Deus conspici & agnosci iram suam aduersus peccata, uult nos summissos & humiles fateri culpam, ideoq; signa reatus nobis circumdat, qualia circumdedit primis parentibus, cum uiderent interfectum Abel, aut qualia circumdedit Dauidi pulso in exilium, aut qualia circumdedit toti populo, cum deleta Ierosolyma abduceretur in



retur in Chaldaeam. Talium poenarum cogitatione  
moueamur, ut simus modestiores. Ac uerum est il-  
lud quod recitasti, mitigari poenas propter nostra  
benefacta, hoc est, propter nostram conuersionem,  
& ueram morum emendationem. Sed hoc non per-  
tinet ad illa spectacula satisfactionum, de quibus isti  
dicunt.

Vera est uox apud Esaiam, Si peccata uestra  
fuerint ut coccinum, & ut uermiculus, eritis can-  
didi ut nix, quo dicto illustri imagine ac hypotyposi  
utrumq; pingitur, poena & liberatio. Tunc peccata  
sunt ut coccinum, & ut uermiculus, Cum David  
sanguine filiorum conspergitur, sed rursus tunc can-  
det ut nix, cum & fide accipit remissionem culpæ,  
& Deus tollit poenas. Quo in loco Esaiæ, cur uer-  
miculum nominarit Propheta, non est obscurū, Nam  
granum quod uocatur κόκκος βαφικη natum in  
ilice, uertitur in uermiculum, quem cum Græci σκω-  
λίκιον nominent, uocabulum inde mansit scharla-  
cum. Sed placet uermiculi appellatio in eo loco, quia  
reuera filius Dei talis uermiculus pro nobis factus  
est, Cum in cruce suo cruore conspersus penderet,  
& huius uermiculi similis fieri nos oportere sciamus.

Sed discrimen inter mortem filij Dei, & nostras  
crumnas teneamus, Illius mors fuit λυτρον & sa-  
tisfactio

B



atisfactio pro nobis, Non tribuatur hic honos nostris  
benefactis. In illo admirando consilio Dei de redem=  
ptione generis humani, hic deprecator fuit pro no=  
bis, hic fuit ἰκέτης, hic constitutus est μεσίτης.  
Nec iudicatum est placari iustissimam iram Dei, Ce=  
terorum hominum ullorum uirtutibus aut factis.  
Hanc etiam sententiam quotidie in omni inuocatione  
cogitemus, & hac nos consolatione sustentemus, non  
nostra facta, sed filij Dei sacrificium λυτῶν esse,  
quo uere placatus sit æternus pater, De nostris au=  
tem ad afflictionibus alia doctrina tenenda est, Sunt  
enim ærumnæ Ecclesiæ nō λύτῶν, sed aut τιμωρίαι,  
aut δοκιμασίαι, aut μαρτυρίαι, de quorum gene=  
rum discrimine explicatio utilissima est, sed hic reci=  
tari non potest.

Istos uero sycophantas in synodo Bononiensi  
execremur, quod manifestissimæ ueritati in multis  
articulis tenebras inducere et obscurare beneficia filij  
Dei conantur. Ut autem post blasphemias pendente  
in cruce filio Dei, uniuersa rerum natura terræmotu  
& alijs signis testificari de eo cepit, ita speremus iam  
illius non synodi, sed ἀγορᾶς κορυφαίων manife=  
stas blasphemias statim Deum ipsum refuta=  
turum esse, quem ut Ecclesiam sibi æter=  
nam inter nos seruet, toto  
pectore oro.

DIXIT



DECANVS COLLEGII  
Facultatis Philosophicæ.

**E**T SI in tantis Germaniæ motibus in qua certum est hospitium esse Ecclesiæ Dei, horribiles terrores nobis propositos esse cernimus, & multa pericula interitum Ecclesiæ Dei, & literis minitantur, tamen hac nos consolatione sustentemus, quod promisit Deus, suæ gloriæ se non defuturum esse. Propter nomen meum, inquit, remouebo furorem meum, propter me, propter me faciam, ne mea gloria blasphemijs obruatur. Hanc promissionem & similes infigamus animis, easque ad nos ipsos pertinere sciamus, tantisper donec ipsi studia ueræ doctrinæ modestè colimus, & uera inuocatione,

A ij            tione,



tionē, ueris gemitibus petimus, ut  
nostri coetus propter gloriam  
Dei seruentur. Mecum igitur  
cōiunctis votis singuli orate De-  
um, ne lucem doctrinæ inter nos  
extingui sinat. Propter te æterne  
Deus, Pater Domini nostri Iesu  
Christi, conditor humani generis  
& Ecclesiæ tuæ, fons sapientiæ,  
propter tuam gloriam seruato coe-  
tus docentium, & discantium in  
hoc oppido, tu gubernā studia  
nostra, ut te uere celebrent, Tu  
semina doctrinæ, quæ ipse sparsi-  
sti & excitasti foueto. Accedant  
autem ad hanc precationem, dili-  
gentia regendorum morum, &  
discendi cura. Laudat enim De-  
us non ignauum seruum, sed ne-  
gociantem, nec ignauas preces ex-  
audit,



audit, sed eorum vota, qui suo studio ostendunt, se uere appetere ea bona quorum mentionem faciunt. Et recte dictum est à Basilio,

μόνον δέλησον καὶ δεῦ προαπαντᾷ.

Cum autem propter examina utile sit seruari morem decernendorum graduū, duxi auditoribus nostris voluntatem Collegij nostri significandam esse, nos honestis & doctrina mediocriter instructis, petituris hoc tempore gradum Magisterij Philosophici non defuturos esse. No-

mina igitur dent Decano

hoc triduo. Anno.

M. D. LXVIII.

B iij Deca



DECANVS COLLE

gij Philosophici.

**C**RAS, Deo iuuante, in publi-  
co examine, eruditio eorum  
qui nunc testimonium de studijs  
suis petunt, explorabitur. Cum  
autem inspicere studia iuuentutis  
honestissimum sit, oro & illos,  
quibus gubernatio studiorũ com-  
mendata est, & cæteros, qui Phi-  
losophiam amant, ut ad id exa-  
men ueniant. Etsi autem hi con-  
gressus tranquillis temporibus iu-  
cundiores sunt, tamen cum scia-  
mus Ecclesiam Dei non interitu-  
ram esse, non sunt exercitia do-  
ctrinæ prorsus omittenda, Et ali-  
qua dolorum leuatio est, erudito-  
rum sermonum de rebus optimis  
communicatio, quam si quis sua  
causa



causa non expetit, tamen uirtus est  
uelle alijs hoc officij genere lenire  
moesticiam. Conspectus enim &  
oratio eorum, quorum similis est  
fortuna, aliqua est leuatio dolo-  
rum, ut in illis dulcissimis uersibus  
dicitur.

γέρων γέροντι γλώττην ἡδίστην ἔχει  
παῖς παιδί, καὶ γυναίκε προσφορὸν γυναίκα  
νοσῶντ' ἀνήρ νοσοῦντι καὶ δυσπραξία  
ληφθεῖς, ἔσωσθ' ὅτι τὸ πειρωμένω.

Deum autem æternum Pa-  
trem domini nostri Iesu Christi  
conditorem generis humani &  
Ecclesiæ suæ oramus, ut & Eccles-  
iam regat, & lucem doctrinæ  
non sinat extinguī. Anno.

M. D. XLVIII. die

XIX. Ianuarij.

A iiij

Deca



DECANVS COLLE  
gij Philosophici. lecto  
ribus. S. D.

**E**CCLESIA Dei inter impe  
riorum tumultus, ut cymba  
in fluctibus iactatur, ut sæpe si  
gnificant imagines in Euangelio  
propositæ, et quæ sit causa tantarū  
calamitatum generis humani, cœ/  
lestis doctrina exponit. Cum au/  
tem inter ipsa pericula seruet De/  
us Ecclesiam suam, nequaquam  
uult nos studia doctrinæ abijcere  
propter temporum difficultates,  
imo tunc & remedia a doctrina  
petere, & cogitatione promissio/  
nis diuinæ accendere vota iubet,  
& uult maiore cura propagari do  
ctrinam ut ad posteros perueniat.  
Et pollicetur labores nostros non  
fore



fore inutiles, ὁ κόπος ὑμῶν οὐκ ἔστι κενός  
ἐπὶ κυρίῳ, q. d. Etiam si hominum  
iudicijs studia sunt intempestiua  
& inutilia, tamen Deo curæ erit,  
ut sint salutaria. Cum igitur hæc  
ueræ causæ nos moueant, ne exer-  
citia literaria omittamus, & con-  
stet de rebus optimis tradi doctri-  
nam a nobis mediocri diligentia,  
scilicet perspicuam & incorru-  
ptam sententiam cœlestis doctri-  
næ & Philosophiam, speramus  
bonos uiros probaturos esse hanc  
nostram sedulitatem. Deum cer-  
te votis ardentibus oramus, & ut  
seruet Ecclesiam suam, & ut me-  
deatur communibus miserijs.  
Rectius est autem in his tantis ca-  
lamitatibus a Deo opem petere,  
& cogitatione doctrinæ dolores  
lenire, quam uel irasci Deo & ma-  
v B ledicere



ledicere hominibus, uel abiectis  
doctrinae studijs frustra tumultu  
ari, & cumulare publica & priua  
ta mala, cum quidem & sapientes  
uiri apud Ethnicos docuerint ar  
te ferendas esse res aduersas, ne  
maiora mala accersat indignatio,  
iuxta hos uersiculos.

ἢ μὴ θεομάχει, μηδὲ προσάγου πράγματι  
χαμῶνας ἑτέρους. τοὺς δ' ἀναγκάσιους φέρε.

Itaq; quod faustum & foelix  
sit Deo iuuante proximo die se  
ptimo Februarij testimonia stu  
diorum tribuemus aliquot hone  
stis uiris, eisq; usitato more decer  
nemus gradum Magisterij Philo  
sophici, ac Deum oramus, ut &  
horum studia, & nos et Ecclesiam  
huius oppidi clementer regat, &  
custodiat hec tuguriola in quibus  
& doctrina propagatur, & uota  
offe



offeruntur filio, Domino nostro  
Iesu Christo crucifixo pro nobis  
& resuscitato, ut ipse cum sit <sup>ικέτης</sup>  
<sup>ἡμῶν</sup> μεσίτης pro nobis perferat ea  
ad æternum patrem, ut in nos-  
stro coetu etiam colliga-  
tur, & conseruetur  
uera Ecclesia.

Die Februarij | V.  
Anno. D. XLVIII.





offertur, illo, Domino nostro  
Iesu Christo crucifixo pro nobis  
sacramentum, ut ipse cum illis  
pro nobis peccatis ca  
ad certum partem, ut in nos  
suo eorum etiam colligat  
sunt & constantem  
vera fides.


Die Februarij V.  
Anno. D. M. VIII.



lo  
bl  
03  
J









Jf 2695

ULB Halle 3  
004 088 379



TA → a


Ben











# Farbkarte #13

B.I.G.

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
Light Blue	Light Cyan	Light Green	Light Yellow	Light Red	Light Magenta	White	Light Grey	Black
Dark Blue	Dark Cyan	Dark Green	Dark Yellow	Dark Red	Dark Magenta	White	Dark Grey	Black

9

TO  
 VM DE  
 R GRAE  
 quot hone  
 ris, Die  
 uarij  
 .  
 VIII.  
 anthon.  
 GAÆ.

